

ARTIC. 642 DE RESURRECTIONE

XVII. aliquorum duntaxat, sed omnium jam inde à condito mundo mortuorum, rursus quasi effundet: quòd illa animabus suis juncta reviviscent: quòd denique licet qualitatam aliquam, substantie tamen prorsus nullam mutationem patientur: siquidem attestante Iobo, ipsa sua pelle quisque circumdabicitur: & in ipsa suâ Carne videbit Dominum idem ipse qui vixerat, & non alius.

Iob. 19.
25.

& seqq.

58. Fidem futuro huic miraculo faciunt expressa Scripturarum testimonia, quae omnes quotquot dormiunt in pulvere terrae, evigilatos & resurrecturos disertè testantur: ut Ies. 26, 19. Ezech. 37. Dan. 12, 2. Iob. 19, 25. Iob. 5, 28. 1. Cor. 15, 12. & seqq. 1. Thess. 4, 16. &c.

59. Fidem præterea faciunt exempla Enoch & Eliae, quos vivos in Caelum translatos fuisse. scriptura perhibet: item eorum, quos à Prophetis, Christo & Apostolis è mortuis resuscitados fuisse legimus.

60. Causa huius facti sive eventus partim est voluntas & decretum DEI: partim verò Christus Servator, qui factus est primitia dormientium, principium & primogenitus ex mortuis: imò Resurrectio atq; vita ipsa. Cor. 15, 13. & 20. Col. 1, 18. Apoc. 1, 5. Iob. 11, 25.

61. Qualitates & proprietates piorum ac beatorum corporum resuscitatorum prolixè describit Apostolus 1. Corinib. 15, 42. & seqq. quarum
 præcipua